



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

25 Aprilis. 7 Kal. Maji.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

sententiâ, felicem animam exhalâ-
sti.

Sancti triginta quatuor socii A-
lexandri, Martyres.

Sancti Eusebi, Neon, Leonti,
Longine, & alii quatuor, post diros
cruciatus, gladio percussi.

S. Mellite Episc. Apostolice.

SS. Gregori, & Honori, Episc.

S. Egberte Presb. humillime.

S. Doda Virgo.

S. Roberte Abba, egenorum, &
ægrorum amantissime, animarum
suscipientissime, contra dæmonem fortis-
sime.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 320.

S. MARIA, quæ, unâ cum JESU,
hodierna tua Bonæ, ad S. Jacobi se-
pulchrum oranti, apparuisti. Doce
me ita orare, ita Sanctos colere; ut illi
me præparent, ad videndum Filium
tuum, & te, in æternum!

25 Aprilis. 7 Kal. Maji.

SANCTE MARCE Evangelista, cui
inter sacrificandum capto, ipsâ
Paschatis nocte, apparens in carce-
re Angelus, nomen tuum, in cæ-
lestis vitæ libro consignatum, of-
tendit, ac dixit: *Serve Dei, Marce;*

Z en,

*en, scriptum est nomen tuum in libro
vite caelestis: & memoria tua non dele-
bitur in aeternum. Archangeli spiri-
tum tuum in calos suscipient. cui,
ideo exultanti, gratiasque agentis,
Christus, Pax tibi, Marce! dixit:
quam pacem, altero die laqueo tra-
ctus, & praefocatus, reperisti; nunc
Venetorum, omniumque te in-
vocantium, protector. Exora mihi
pacem illam à Jesu, pacem cordis,
pacem vitae, mortis, aeternitatis; ut
in albo Beatorum inscriptus, felici
morte, in pace in idipsum dor-
miam, & requiescam aeternum.
Amen.*

Omnes Sancti, & Sanctae Dei, &
rota triumphans Ecclesia, quam
hodie militans ecclesia invocat Li-
taniis.

Sancti Evodi, Hermogenes, &
Calliste, Martyres.

S. Stephane Episc. in Orontem
fluvium praecipitate.

SS. Philo, & Agathope, MM.

S. Aniane Episcopo, S. Marci
discipule, ac successor.

S. Ludovice Rex, cujus Pari-
siense sacellum, anno 1248, hoc die
dedicatum est; quod aedificasti ho-
nori spinæ Christi coronæ, quam
tibi Constantinopoli afferri cura-
veras.

veras. Impetra mihi à JESU, spinis coronato; ut coronet me in misericordiâ, & miserationibus!

S. Ermine Episcopo.

S. Gertrudis, quæ, hoc die, vidisti Christum speculis (id est, Sanctis) undequaque ornatum: & quando Sanctorum Litaniam recitabantur, conspexisti Sanctos singulos, pro iis, à quibus implorabantur, supplices coram Deo, & orantium nomina *litteris aureis* scripta gestantes; cum indiligenter cum tepore orantium nomina essent non aurea; sed in tenebris obscura. Impetra mihi, unâ cum omnibus Sanctis, (maximè autem iis, quorum aurea fuit, id est, divino amore pretiosa oratio) ut oratio mea nomen meum non condât in tenebrôsâ caligine, sed ignito amoris auro felicissimæ Sanctorum æternitati inscribat.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 320.

S. MARIA, ex quâ nascentis Filii Dei natiuitas hodie apud Æthiopes celebratur: ora, ut cor meum vivat in JESU, ac vicissim in corde meo nascatur, adolescat, delectetur, & nunquam moriatur JESUS.

S. MARIA, cui, Regina cæli lactare, canentes Angeli, hodie, à S.

Z 2

Grego-

Gregorio, Roma, in Litaniis majoribus, sunt auditi. Utinam lateris etiam in me, ac de me, in aeternum; ut aeternum in celo sim apud te, cum filiis tuis, quorum, sicut latantium, omnium habitatio est in te!

26 Aprilis. 6 Kal. Maji.

SAncte Basilee Ep. M. cui Christus in carcere gloriosam mortem prædixit: cujus pro Christo decolati corpus in aquis monstravit Angelus; animam verò, in celo, gloriâ coronatam, ostendit. qui amico tuo, in domo pellucidâ sedens, ostensus es; & caput tuum, reliquo corpori conjunctum, divinitus est repertum. Utinam ibidem, ubi tu sedes, sit locus animæ meæ, hinc migraturæ! Erit autem, si oratore pro me, apud Jesum, Angelo tuo, clamante pro me sanguine tuo, felici morte migrare ex hoc corpore faciat animam meam Deus JESUS. Amen.

S. Clete Papa M.

S. Marcelline Papa, cum Claudio, Cyrino, & Antonino, capite truncate.

O vos septendecim millia Martyrum, uno mense martyrio coronata!
S. Petre